

F. 25, 51

X 2002 535

Ya
4432

DE MEMORABILIBUS EISENBERGÆ
Dissertatiuncula XXXII.
qua
SERENISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN. CHRISTIANI,
Ducis S. J. C. M. A. W.
& rel.
NATALEM
d. 7. Januarii A. C. 1705.
ACTU ORATORIO
in lyceo Eisenbergensi
celebrandum
publicat
M. ADAM Oschwendt
Diac. Rec.

Eisenbergæ,

TYPIS

JACOBI


PETRI

KUECKEL-
HAHNII,

DUCAL

SAXONIA

TYPOG.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA
TONICKAVIANA

FELICITER L. S. H!



Udoxum qvendam, celeberrimum Cnidiorum Astronomum, more nobis suo, hoc est nitidissimis verbis commendat autor Latinissimus, festivus delitiarum Arbitr. Refert qvippe, Philosophum ingenti siderum amore illectum in cacumine excelsissimi montis consenuisse, ut astrorum cœlique motus deprehenderet. Ita vero est. Trahimur omnes & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem, ignorare & decipi & turpe & ingenuo homine indignum ducimus. Hic nobis seritur, hic metitur, tanto sœpe studio, ut & laborare & sudare sit voluptas. Invitant exempla eorum, qvos in illustri positos loco veneramur, invitat rei, cui studemus, dignitas, ut ei perdiscendæ non dies sufficere arbitrati, aliquantum noctis assumamus.

Qvos Eisenberga suo fovet gremio, literis melioribus addictos, hi si à DEO T.O.M. discetteris, nihil agunt prius, nihil majore solicitudine expectant, qvam fidus communipatriæ saluberrimum, tota Europa, qvam late illa patet, fulgentissimum, cuius ortum felicissimum festivo nunc applausu pius qvisque, devotissime actis DEO gratibus, excipit. Festum Natalitium intelligo Serenissimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI, Ducis Saxoniae, Juliaci, Cliviae, Montium, Angria & Westphaliae, Landgravii Thuringiae, Marchionis Misniae, Principali dignitate Comitis Hennebergæ, Comitis Marca & Ravensburgi, Dynastæ Ravensteinii, & rel. Principis & Domini nostri clementissimi, felicissimo hodie sidere, vice qvinqvagesima tertia reversum. Cujus exortum ut rectius observarent, soli velut nati soli juvenes eximii, in montis nostri cacumine præstolati, qvæ meditati interim qvinqve illorum sunt, (nec enim omnes promiscue videbantur admittendi) cras, DEO volente, hora octava recitare solenniter constituerunt.

Hos ut audire benevole Perillustres & Generofissimi Aulae Proceres, Maxime Reverendus Lycei Ephorus, Pranobilissimi, plurimum Reverendi, Amplissimi Clarissimique Scholæ nostræ Patroni, fautores & amici ne dedignantur, non dicentium adeo profectibus & conatu, qvam Ejus potius meritis adducti, cuius honoribus instituta hæc solennitas est, exquisitissimis verbis rogamus, precamur, flagitamus. Sustinebunt singuli de felicissimo Natali gratulantium vices; seorsim qvidem

Johann. Georgius Michaëlis, alumnus Ducalis, Siglitz-Osterl. Fortuna,
Carolus Heinricus Linde / alumn. Duc. Gleina-Osterl. Salutis,
Johann. Jeremias Meier / Petersberga-Osterlandus Irenes,
David Fridericus Freiesleben / Eisenbergensis Charitum,
Carolus Heinricus Heubler / alumnus Ducal. Hermsdorff-Osterl. Eusebies,

pleno veluti copiosa cornu munera Serenissimo Patriæ Patri devotissime apprecati, sedentibus interea cæteris, pioqve silentio votis vota addituris. Nos feliciter Duci, feliciter Ducisse acclamamus. DEUS TE servet, Domine, Patriæ Pater indulgentissime! DEUS

Augeat Imperium nostri Duci, augeat annos!

Pio defuncti voto ad patriæ res, brevi levique filo pertexendas revertimur, de edibus Eisenbergensi-

gensium sacris pauca relaturi. Parochiali ecclesia, capellisqve S. S. Petri & Pauli itemqve S. Nicolai posterior est tempore ECCLESIA CONVENTUALIS die Kloster-Kirche. Illius ædis sacræ memoriam suggerit singulare diploma, fundato olim monasterio consecratum, cuius copiam B. L. fecimus jam dissert. XI. Non alia forte ædes illa fuit, qvam parochialis, cui splendidius, novis qvippe sumtibus exurgenti addita fuisse videntur Præpositi Monialiumqve habitacula. Fundatio basilicæ, seu veteris parochialis amplificatio, incidit in primordia seculi post natum Christum decimi tertii, qvod dissipatiunculae nostræ VIII, XI. & XII. legentes docent, hoc est in ipsa conventus Monachorum regularium initia.

Dedicatam fuisse ædem, B. Mariæ virginis honoribus novimus, plurimorum diplomatum fide, ipsoqve monasterii sigillo, dissipatiunculae XII. præfixo edocti. Accessit suo tempore religiosus (superstitiosus debebam scribere) sanctæ crucis cultus. Qvæ ipsa utiqve sententiam nostram de commutata in conventualem parochiali ecclesia sententiam confirmant, cum accedente Monasterio & majore sui parte & novo crucis nomine videatur adaucta. Forte an iulustissimi Marchionis Misniae, Theodorici, qui & collegit primus conventum & munificentissime dotavit, liberalitas, diplomatibus citatis jam laudata, particulam aliquam crucis sanctæ huic ecclesiae comparavit, vel certe crucem Pontificiis, iisqve singularibus ceremoniis dedicatam hujus cultui pro tempore destinavit.

Favere videntur huic conjecturæ Meinhardi, Numburgensis Episcopi, verba inserta diplomati cuidam, quo XL. dierum indulgentias cœnobio elargitur, collatasq; aliorum episcopum plurimas liberaliter confirmat qvod ita habet: Meinhardus Dei gratia Nuemb. Episcopus universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem in Domino -- Cupientes ut ecclesia sanctimonialium in Isenberc constructa & fundata in honorem B. Marie Virginis, in qua etiam vivifica crux Domini nostri, Domini Christi specialiter veneratur in quatuor festivitatibus ejusdem B. Marie Virginis, immo in Exaltatione & Inventione ejusdem S. crucis congruis honoribus frequentetur, & Christi fideli eisdem sanctimonialibus & ad structuram ibidem laudabiliter inchoatam manum porrigant adjutricem -- Datum Ciza Anno Domini M. CC LXXX. in crastino conversionis B. Pauli Apostoli, Pontificatus nostri anno octavo

Lausnizensium certe monasterium, nostro confine, reliquiis sanctorum superbuisse, autentica probant diplomata, alias forse, si visum Deo fuerit, è tenebris in lucem producenda. Imo vero ut conjecturis tandem finis sit, vivifica crux Eisenbergæ reqvieuisse asseritur. Diploma ita incipit: Nos Fridericus D. g. Com. S. Pal. universis Christi fidelibus tam presentis quam futuri evi, ad quos presens scriptum pervenerit, cupimus esse notum, qvod nos de bona voluntate nostra, sincere propter Deum & ob honorem vivifice crucis in Isenberch requiscentis Molendinum -- - - - consilimus ecclesie sanctimonialium in Isenberch -- - Dat. A. D. M. CC. LXXXV. Iudic. XIV. id. Octobr.

Optandum omnino foret, non simul cum abusu sublatum fuisse usum eximii ædificii, magno, qvod istiusmodi ædibus contigit, pretio extucti. Neqve dubitandum enim est, in augustiore formam elatam eminuisse basilicam sumtibus maximis, tum ex Herbipolensi concilio, magno Episcoporum consensu, tum & alias precibus Eisenbergensem collectis. Dignum est lectu multis quidem de causis, alias prolixius repetendis, diploma, insolenti more literis ingentibus, iisdemque & cæteris omnibus aureis, exaratum, cuius qvæ erant primariae tres, in fronte L. S. H. spectandas obtulimus.

Universis Sancte Matris Ecclesie filiis ad quos presentes literæ per venerantur. Nos miseratione divina Bertrandus Ampunerensis, Augustinus Salubriensis, Bertoldus Cisopoleensis, Johannes Candinonensis, Petrus Valonensis, Raphael Archadicensis, Franciscus Lapsacensis, Lazarus Boutrontinensis, Albertinus Surinanensis, Johannes Avenionensis, Richardus Naturensis, Johannes Ucgensis, Cosmas Trapacensis, Johannes Aitonensis Episcopi salutem in domino sempiternam. Splendor principum luminis, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate. Pia vota fidelium de clementia & ejus maiestate sperantium tunc etiam favore benigno prosequitur, cum devota ipsorum sancto-

FK Ya 4436

Sanctorum meritis & precibus adjuvatur. Cupientes igitur, ut Monasterium sancte Crucis sanctimonialium extra muros Isenbergs & capella sancti Nicolai ibidem Nuenburgensis dioceos congrua honoribus frequententur, & à Christi fidelibus iugiter venerentur. Omnibus vere penitentibus contritis & confessis, qui ad dictum monasterium & ad dictam capellam in singulis suorum Patronorum & Beate Marie virginis festivitatibus ac omnibus alijs infra scriptis, videlicet Nativitatis domini, Circumcisionis, Epiphanie Parasceves Pasce, Ascensionis, Trinitatis & Corporis Christi, Inventionis & Exaltationis sancte crucis, sancti Michaelis, sanctorum Petri & Pauli Apostolorum & omnium aliorum Apostolorum sanctorum, Johannis Evangeliste, Johannis Baptiste & gratulator sancte ecclesie doctorum in festo omnium sanctorum & Evangelistarum & commemoratione animarum, digneque ecclesie dedicationibus sanctorumque Stephani, Laurentii, Mauritii, Georgii, Nicolas, Martini, decem millia militum ac sanctorum Marie Magdalene, Marthe, Anne, Katherine, Ursule, Dorothee, Margarethe, Barbare, undecim millia virginum, Elyzabeth vidue per octavas festivitatum predictarum octavas horantium singulisque diebus dominicis & festivis causa devotionis orationis aut peregrinationis accesserint, vel qui missis, vesperis, matutinis, predicationibus aut alijs divinis officiis ibidem interfuerint vel qui corpore Christi, corpore seu oleum sacrum ad infirmos cum portantur, sequuti fuerint, vel qui in elevacione corporis Christi flexis genibus humiliter se inclinaverint, aut qui in serotina pulsatione campane flexis genibus tria ave Maria dixerint, vel qui ad fabricas, luminaria, ornamenta, libros, calices aurum, argenteum, vestimenta donaverint, legaverint, donari vel legari procuraverint, vel quovis alio modo dicto Monasterio & dictae Capelle manus porrexerint adjutrices, aut qui pro salubri statu Domini Episcopi presentium confirmatoris ac pro Domino Henrico de Mosin eisdem Monasterii Preposito, nec non pro domino Günthero de Plauniz, Ecclesie Nuenburgensis Canonico harum Impetratore ac pro animabus omnium presentium amicorum & beneficiorum suorum pie Deum oraverint, quandocumque & quotiescumque vel ubiquecumque premissa vel aliquod premissorum devote fecerint, de omnipotentiis Dei misericordia, & B. Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi singuli nostrorum quadraginta dies de injunctis iis penitentiss misericorditer in domino relaxamus dum modo Dyocesani voluntas ad id accesserit & consensu. In cuius rei testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum Avinione Anno millesimo Trecentesimo Sexagesimo, Indictione XII. die XVII. mensis Martii potestate sanctissimi in Christo Patri & Domini nostri, Domini Innocentii Divina providentia Pape Sexti anno VIII.

Et nos Gerhardus Dei & Apostolice sedis gratia episcopus ecclesie Nuenburgensis predictas indulgentias auctoritate dioecesana approbamus, & in Dei nomine presentibus confirmamus, ac universis Christi fidelibus, qui premissa seu premissorum aliqua devote adimpleverint XL. dies indulgentiarum de injuncta eis penitentia misericorditer in Deo relaxamus. Sigillum nostrum presentibus appendentes in testimonium premissorum sub anno Domini CCC LX, in die Marci Evangelista.

Ut vero constet, maximum fuisse indulgentiarum huic cœnobio concessarum copiam, alias notitiam pro spatio subtexere voluimus: In nom. Dom. Amen. Bruno D.g. Nuenb. ecclesie Episcopus omnibus vere penitentibus & confessis conventui sanctorialium in Isenberg nostro dioeceso manum porridentibus adjutricem. Nos de omnipotentiis Dei misericordia quadraginta dierum indulgentias de injunctis penitentiss misericorditer in Domino relaxamus. Nec non indulgentias MCCCLX. dierum a venerabilibus in Christo patribus & dominis videlicet -- (Sequuntur nomina Archi- Episcoporum & Episcoporum XXVI. plerorumque Germanorum, quæ paginæ angustia non capit) in concilio Herbipolensi prefato conventui Sanctorialium in Isenberg salubriter claretiam ratam habemus -- Nihilominus sepe dictum conventum in Isenberg D. dies & XIII. harenas indulgentiarum habere deditum ab antiquo -- A. D. MCC LXXXIX. Tertio nonas febr. Pontif. nostri anno IV.

Sed satis de his hac qvidem vice. P. P. Eisenbergæ ipso Serenissimi festo Natalitio h.e. 6. Januarii 1705.

- 43 (O) 88 -

F. A. 25, 51

X 2002 535

Ya
4432

DE MENE
DISSE
SEREN
DN.
Duc
d. 7.
Ac
in ly

M. A.

Centimetres
Inches
TYP. OG.

Kodak

LICENSED PRODUCT
Black

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

3/Color

Red

Green

Cyan

Yellow

White

Blue

